

4
RÖPL.
302

1583.

3292 IOANN. COCHANOVII

Supl. I. 19.

AD STEPHANVM

BATHORRHEVM REGEM

POLONIAE INCLYTVM

*Moscho debellato,
et Limonia recuperata.*

Epinicion.

ANNO A CHRISTO NATO

M. D. LXXXII.



GRACOVIAE,

In Officina Lazari. Anno Domini

M. D. LXXXIII.

IN NVPTIIS

ILLVSTRIVM IOAN. ZAMOSCII,
R.P. CANCEL. EXERCITT. Q. PRAEFECT
AC GRISELDIS BATHORRHEAE,
CHRISTOPHORI TRANSIL. PRINCIPI
ET REGIS FRATRIS, FILIAE,

*Ad hanc cecinit Christoph. Clabonus
Musicus regius.*

IDIB. IVN. ANNO CHRISTI,
M. D. XXCII.

IOANN. COCHANOVII

AD STEPHANVM
BATHORRHEVM REGEM
POLONIAE INCLYTVM

*Moscho debellato,
et Livonia recuperata,*

EPINICION.

Anno à Christo nato, M. D. lxxxii.

Duodenarius I.



*Oride cum cythara, et cum
dulcesonantibus odis
obuiam regi Bathorrhéo
progrediamur, age,
ô Musa; qui nunc non Phrygis
à stadio Pelopis,
luctante, citissime quadrigis inclytus
coniugem charum, et sua regna reuifit:
sed procul à Tanai*

A ij

cesis

*cesis, fugatisq; hostibus.
centumq; captis urbibus
functas reducit*

Duodenarius II.

*militia legiones:
vir celeberrimus arte
bellica, iuxtaq; promptus
consilio, atque manu.
arroso dente æui inuido
gloria Olympiadum
defloruit; Isthmicus una nobilis
Pythicusque extinctus agon: Nemeorum
nomen inane manet,
certamen ipsum euanuit.
at non virorum euanuit
virtus, neque ardor*

Duodenarius III.

*bellicus, atque animi vis:
qua mens ante alios rex
sic viget laude, ut sit uno*

bellipotente

*bellipotente minor.
nec cultiores litteras
spernit; amat potius,
ut quas sibi non modò honori, sed videt
vsi summo esse, fuisseque semper.
tantaque præterea
eius viri est humanitas,
et tanta morum lenitas,
ut dicta, factaque*

Duodenarius IIII.

*illius omnia verè
omnis inania fastus
dixeris; nec verò Homeri
versibus ille sacris
clarens, ita enixè intimi
monstra canora maris
olim fugiebat Ulysses, ut quidem,
hic voluptatum illecebris fugit omnes;
ocia despiciens,
ultrò et labores persequens;
quæ ad gloriam adspirantibus
sanè via una est.*

A iij

Duode-

Duodenarius V.

*quæ prius in patria ve-
 rò iuuenilibus annis
 gesserit; quæ bella regum
 aspera disidijs
 dux administrarit, genus
 Attila ab Hunniade
 virtutibus eximijs ductum arguens;
 plenius fortasse aliàs memorari
 adstipulante dea
 quibunt; ad hæc dicenda enim,
 quæ post tulerunt tempora,
 mens prona fertur.*

Duodenarius VI.

*inuidiam superare,
 magno opus Hercule dignum est;
 quod tibi, fortis Bathorrhœu
 ante alios meritò
 dandum videtur; qui quidem
 legibus ijsdem agitans
 ænum cum alijs opulenta in patria*

cæteris

*cæteris virtute ita visus es ante-
 cellere, ut egregio
 fatis subactò principe,
 ipse in locum demortui,
 cuncto approbante*

Duodenarius VII.

*concilio, populoque
 sufficerere volenti.
 quod tuorum insigne de te
 iudicium, & populi
 consentientis nobile
 elogium, indomitæ
 gentes quoque Sauromatarum insigniter
 comprobauerunt; tibi cum diadema
 imposuere sacrum,
 magnumque te pugnacium
 regem Polonorum palàm
 pronuntiarunt.*

Duodenarius VIII.

atque ego non ita valde

forsitan

*sic sustinebas, & mode-
rabare cursum;*

Duodenarius XVIII.

*ut satis argueret res
ipsa, fuisse te eum ultro
Cæsari cesurum honorem;
si modò & ille satis
constanter vrsisset suum
propositum. sed enim
regni titulo illius auctus, cum neque
ipse capturus diadema veniret;
teque ab eodem itere abs-
terrere inani nominis
vellet sui umbra; callidè
sensisti agi te-*

Duodenarius XIX.

*cum, neque pectore aperto.
proinde nec ipse volebas
gratiam adfectare, cuius
grati animi indicium*

nullum

*nullum videres. tunc feras
id quod amicitia
indulseris; arte tibi extortum argui?
omne discrimen potius subeundum
ducti. ad iter te itaque
ultro capeffendum paras.
postquam domi autem, ut par erat,
res ordinasti,*

Duodenarius XX.

*ad sacra limina diuam
& patriæ sola terræ
consalutanda ire perrex-
sti, atque loquutus ita es.
Dii patrii, & tu altrix mea
frugum opulenta, viris
bellacibus incluta. non me pœnitet
iis locis natum; &, nisi fata vetarent,
hoc mihi vita, velim,
sub cælo agenda esset data,
ad filum inexorabilis
Parcæ supremum.*

Duodena-

*forsitan à scopo aberras-
 se arguar, si, quis status tum
 Sarmatiae fuerit,
 compendio comprehendero.
 namque ita et acre animi
 robur, sapientiaque insignis tua
 est futura illustrior, inclyte rex, cum
 perspicuum fuerit,
 quam turbulentum, quam inquires,
 discorsque regnum acceperis;
 et quam breui omnes*

Duodenarius IX.

*tempore seditiones,
 sustulerisque tumultus.
 sydus ut nautis amicum
 turbinibus rapidis
 exterrito adfulgens mari.
 sceptru Iagellonidæ
 mors è manibus violenta extorserat;
 horridasque ipsum rante iusserat atra
 Ditis adire domos;
 huic pulchræ alumnus Galliae*

Henricus

*Henricus ingenti virum
 contentione*

Duodenarius X.

*sufficiturque tumultu.
 non enim ab omnibus æquè
 expetebatur, nec omnes
 illius verberibus
 aurem admouebant creduli
 pollicitis; adeoque
 audire erat hæc iterari à plurimis:
 non fore, ut Galli dominatio rectè
 Sarmatiae eueniat.
 acri esse oportet pupula,
 cui rei modò inceptæ exitum
 fas contueri est.*

Duodenarius XI.

*quippe tot in medium tum in-
 commoda, totque pericla
 adferebantur, quæ adire
 rege Valefiade*

B

fortes

*fortes oportebat Lachos.
 nemo ita certiloquus
 vates tamen extitit, ut prædiceret
 id, quod euenit; siquidem ille bonus rex,
 cum neque dimidium
 regnasset annum, clam omnibus,
 sceptri, thyaræque immemor
 noctu profugit.*

Duodenarius XII.

*prodigii similis tum
 res ea Sarmatiæ omni est
 visa. descendunt feroces
 rursus ad arma viri;
 in factiones scinditur
 vulgus, et ipsa sibi
 plebs dissidet, ac neque iam parcunt minis,
 non enim rerum faciem fore eandem
 regis in alterius
 electione, et sortibus
 examinandis, atque cum
 illum priorem,*

Duode-

Duodenarius XIII.

*dimidia propè regni
 parte vetante, creassent,
 sic minaces tum fremebant.
 inde ubi more patrum
 uno coiuere in loco,
 pars tibi Galle, etiam ab-
 senti fauet, et reditum expectat tuum:
 pars domum insignem pietate, fideque
 prædicat Austriacam;
 sed quod sit illa ex arbore
 germen sub Arcto frigida
 proseminandum,*

Duodenarius XIII.

*ambigitur. sed eorum,
 qui indigenæ diadema
 omni ope imponi studerent,
 sanè equidem numerus
 præ cæteris ingens fuit.
 qui tamen vnanimes,
 ventis rapientibus, in contrarium,*

B ij

vela

*vela flexerunt, et amica, Bathorrhœu
castra iniere tua.
nec Gallicani, et factio
secum ipsa pugnans Austria-
corum quieuit;*

Duodenarius XV.

*sed properanter et ipsi
Cæsaris ordinibus se
se aggregant. quid multa? discors
Sauromates geminos
reges creauit; Cæsarem
Austriadum decus, et
te regna vetusta, Bathorrhœu, Dacica
administram. mora nulla, fugaces
nuntii utrinque volant,
reges ut accersant nouos.
ingens Polonas interim
peruadit vrbes*

Duodenarius XVI.

terror, imago domesti-

ci rabiosa

*ci rabiosa duelli
nocte versatur dieque
ante oculos pauidis.
Et iam suos exercitus,
Et sua castra sibi
pars utraque munit, et vrbes occupat.
buccina auditur procul ænea, belli
nuntia; diffugiunt
ruris coloni, liberis
in plaustra coniectis, pedes
quò quenque ducunt.*

Duodenarius XVII.

*hic animi illa tui cun-
ctis moderatio seclis,
æquitasque, orex, canenda
enituit. Cum etenim,
regnum quod hoc ipsum attinet,
Et studiis hominum,
Et robore, Cæsaris eses partibus
firmior (nam quid manifesta negemus?)
lintea plena tamen,
prorumque fortunæ tuæ*

A iij

sic su-

Duodenarius XXI.

*impatiens sedenim oti,
 Et cupidissima agendi
 excubat virtus, labores
 assidue speculans,
 vires ubi extendat suas.
 non ego me ad choreas
 conuiuiaue ulla vocari intelligo;
 plena turbarum video omnia, plena
 dissidiis; neque me hæc
 terrent, sed inuitant magis.
 nam quis ferat certaminis
 expers coronam?*

Duodenarius XXII.

*alea iacta quidem iam
 est mihi; vos iter, o dii
 profferum, Et cursus secundos
 annuite. hæc tua tum,
 o rex, precantis cœlites
 vox fuit; inde sacris
 das oscula postibus; ac tandem deum*

limina

*limina egressus super ardua terga
 infilis acris equis;
 qui ferreis luctans lupis,
 Et nare crebrum sternuens;
 laxari habenas*

Duodenarius XXIII.

*gestit, herumque retentan-
 tem arguit, huc caput, atque huc
 inquires obuersus, atque
 subsiliens alacer.
 te turba circum plurima
 it glomerata, tibi
 faustissima quæque precari haud desinens,
 quos tu equo prætergrediens, oculisque
 comiter afficiens,
 non insalutatos tuis
 verbis relinquis; sic iter
 demum tuum urges.*

Duodenarius XXIII.

vix iuga dum superaras

C

Carpathii

*Carpathii ardua montis,
cum tui aduentus per omnes
Sarmatiæ populos
vulgata fama est. hic statim
res ruere Austriaci
capere; etenim dubitabat nemo, quin
is potiturus diadematis esset
Sarmatiæ armiferæ,
qui limina intrasset prior.
ipsi quoque aduersarii
sic dictitabant.*

Duodenarius XXV.

*tantum iter iste rapaces
per fluuios, iugaque alta est
montium emensus, priorque
arua Polona tenet;
noster, domus cui tam prope est,
limine nondum etiam
gressum extulit; Et dubitabit quisquam adhuc,
quem velit regnare heræ, quidne ferat fors?
Talía Cæsarei
clam musitabant. tu interim*

turba

*turba salutantum indies
maiore septus,*

Duodenarius XXVI.

*Vadere Sauromatarum
per media oppida pergis;
non sine acclamationi-
bus populi, atque hilaris
plausu iuuentæ prospero.
hinc ubi Cracopolim
ventum est prope, Sarmatiæ flos totius
obuiam prodit tibi. leuia fulgent
arma procul, radians
perstringit aurum lumina;
hac parte equestres copiæ, hac
tendant pedestres,*

Duodenarius XXVII.

*propria quisque sequuti
signa, aquilasque minaces.
ordo grandæui Senatus
in medio; hos iuuenes*

C ij

stirpe

*stirpe inclyta orti, insignibus
prægrediuntur equis.
postquam socia agmina iunxistis, tuaque
ora spectari propius potuere,
è medio tibi vir
lectus senatorum choro
est omnium vnus nomine
congratulatus.*

Duodenarius XXIX.

*utque tibi tuus aduen-
tus, populoque Polono
faustus, atque propter esset,
numina sancta deum
orauit; & iam nunc quidem
continuuare gradus
captos, adeoque tuis virtutibus
debitas sedes, veterum inclyta regum
atria, inire diis
hortatus est ductoribus.
hunc tu vicissim sic tuo
affatus ore es.*

Duodenarius

Duodenarius XXIX.

*nullius ambitionis
te stimulis agitatum,
hoc iter cepisse tantum;
iudicium populi
tam nobilis de te omnibus
charum habuisse modis;
consensum etiam hunc populorum haud vnus
moris, aut linguæ, opus esse deorum
non dubitare; itaque
clarissimarum gentium
auctoritati, & nutui
diuini obsequium*

Duodenarius XXX.

*Daciæ ab usque vetustis
finibus inuia saxa
Carpathi permensum adesse;
hancque daturum operam,
ne vnquam Polonos consili, aut
pœnituisse sui
regis queat. hæc ubi dixisti, illicò*

C iij

progreſſi

*progredi capere virum agmina ; quorum
tu in medio, expositus
visu ferebare omnium,
æquandus heroi, viro
mortale maior.*

Duodenarius XXXI.

*talis æhenea claustra
nobilis urbis inisti,
atque cum summa approbantis
lætitia populi
in regiam deductus es.
hîc requiete simul
vires, animumque refouisti tuum,
publico in cœtu populi que, patrumque,
pace prius precibus
ritè impetrata cœlitum,
insigne tempus gemmea
cinctus corona es.*

Duodenarius XXXII.

*lætitiâ cumulauit
regibus orta Polonis*

*virgo ; maiorum trophæa
egregiis animi
non decolorans laudibus ;
fœdere legitimo
consors tibi dedita lecti. rebus ad
hunc modum gestis, ea sollicitum te an-
te omnia cura habuit,
quânam obstinatæ ciuium,
posset modo ad concordiam
mentes reduci, op-*

Duodenarius XXXIII.

*tataque restitui pax.
nam numerus licet ingens
sub tuum aduentum statim re-
linquere Cæsareas
non distulit partes, tamen
maxima pars, & in iis
multi genus, & merita insignes viri
perseuerabant: neque lenta etiam tum
ex animis hominum
iam iam adfuturi Cæsaris
spes euaporarat, fidem*

virgo ;

rumo-

rumore alente.

Duodenarius XXXIII.

*hæc male suada animorum,
discidia, hos populi æstus,
ingeni consopisti
dexteritate tui;
dum nil superbum, aut impotens,
terrificumque nihil,
sed lenia, sed placida adfers omnia.
talis aduersis Aquilonibus olim
Ionio in medio
navis gubernator citæ,
non pugnat nato mari,
contra hæc fluctus*

Duodenarius XXXV.

*nititur ire rapaces;
sed pelagi trucis arte
impetus frangit, modò undis
morigerans, modò iter
fluctus per obliquos legens;*

ferre

*ferre moram docilis,
omnesque hyemis, pelagique iniurias,
dum ratem optatis modò victor arenis
applicet incolumem.
hac arte tu usus, maximis
è fluctibus rempublicam
seruasti, & in tu-*

Duodenarius XXXVI.

*ta statione locasti.
mœnibus unica fidens
vrbs cyclopæis tua, æqua
respuit imperia;
non mentis impos planè adhuc,
si latuisset iners
intrà sua limina plebes, nec pedem
aggeres extrà fremebunda tulisset
Martis amore trucis;
nunc lentipes testa caput
cùm protulisset cornea
testudo, duri*

Duodenarius XXXVII.

saucia acumine ferri

D

ingemuit

ingemuit grauius, col-
loque contracto refugit
in sua tecta celer,
non iam arma, nec spirans minas.
ius, placidissime Rex,
ignoscere non dubitasti, ut cæteris
omnibus, quicunque per illa feroces
tempora sustulerant
te cornua aduersum sua.
omnes amore patrio
complexus, inquam, es,

Duodenarius XXXVIII.

ut sibi non modò victo-
res, tuaque arma sequenti
plauderent, sed victi haberent
quod canerent etiam,
clementiam experti tuam.
hæc ita gesta domi;
nunc ô cytharæ moderatrix aureæ
Musa, dic Moschum dare terga coactum,
nec potuisse mei
sufferre regis impetum:

unaque

unaque & artis bellicæ a-
misse laudem,

Duodenarius XXXIX.

imperiumque propè omne.
hæc mihi, Pieri, paucis
expedi. paucis enim com-
prehendere multa licet;
& longa sæpè oratio
ponderis exigui est.
Moschis genus, atque Polonis est idem
Slaucum; dispar scindit viter aptos
religio, unanimis
quod scindit & fratres malum.
de principatu Rusiæ
contentiones

Duodenarius XL.

multæ, adeoque cruenta
inter utrosque fuere
bella; necdum pax coiuit.
inueterata odia

D ij

iniuria

*iniuria accendit recens ;
 rebus enim dubiis,
 ¶ seditione Polonorum aspera,
 Moschus Arctœ vetus arbiter oræ,
 tempus adesse ratus
 belli innouandi commodum ;
 magno parato exercitu,
 primariam urbem*

Duodenarius XLI.

*finibus in Lituaniis
 obsidione Polottœum
 cingit, expugnatque, prædaque
 omnigena locuples
 fastu triumphat barbaro.
 nec satis id cupido,
 ¶ Arctœaque præcipienti spe omnia
 regna ; Liouones quoque sceptrâ sequutos
 regia, vi aggreditur ;
 sæuit per agros vberes
 ignique ferroque impotens,
 hinc, atque prædas*

Duodenari-

Duodenarius XLII.

*hinc agit ; occupat vrbes,
 præsidia arcibus impo-
 nit sua ; armis, commeatuque
 instruit ; atque breui
 omnem ferè prouinciam
 in sua iura adigit.
 sic rege superstite debacchari adhuc
 cœpit Augusto ; neque mitior Henri-
 co dominante fuit,
 interque regnis omnibus,
 primus ferocem prosperis
 rebus tyrannum*

Duodenarius XLIII.

*rex Stephane , aggredies ausus.
 nec dubium tibi belli
 huius omen dii dederunt
 Martis in armigeri
 primis statim præludiis.
 mœnia Moscho etenim
 Vendenica concutiente hostiliter,*

D iij

copiis

*copiis cum ingentibus ausa tuorum
parua coire manus,
exercitum omnem conscidit,
primarios belli duces
vinxit catenis*

Duodenarius XLIII.

*fulminis æmula, robur
Martis, abenea centum
abstulit tormenta, & hostem
indomitum docuit
posse edomari. sic tibi
alea prima cadit.
cunctis petis inde Polottæum copiis,
Pannonos tecum, Litauosque, Polonosque,
& genus acre virum,
ducens in armis Teuthonas.
nec segniores ad sua
tutanda Moschi,*

Duodenarius XLV.

gensque vago media inter-

*secta Borysthene, Rusi
conuolant; inuicta portis
claustra adhibent, validis
turres adornant machinis,
omnia, quæ obsidio
quanuis diuturna requirat, præparant,
interim tu accedis, & aggere clausos
perpete, fulmineis
muros fatigas ictibus.
qui summa ope hostium licet
defenderentur,*

Duodenarius XLVI.

*atque fauentia cæli
sydera tristis haberent,
hymbre inaudito obsidentum
impediente opera;
fælicitate, ô rex, tamen,
imperiose tua,
virtuteque nobilis vrbs illa è manu
hostium erepta est, veterisque reuenit
sub titulum imperii.
hoc capta eodem est impetu,*

secta

exusta

*exustaque igni Soccola ;
Moschorum ubi flos*

Duodenarius XLVII.

*interiitque iuuentus
lecta ; simul quoque propu-
gnaculum inuictum Polottei,
dedita Susa tibi est.
munitiones cæteris
prætereo tacitus ;
longe siquidem auctius, & cum fanore,
præ ut fuit captum, rediisse Polotteum
ad veteres dominos
constat. tibi verò omnibus
fama perennis gloriæ
victuræ seclis,*

Duodenarius XLVIII.

*rex, spoliare duelli
laude parum fuit hostem ;
ni simul clementia illum, et
prægrederere fide.*

*queiscunque enim sætum tuens
cædibus in mediis
Bellona pepercerat, iis per te omnibus
vita, libertasque data est ; neque cuique in
castra redire sua
fraudi fuit, si non tibi
merere mallet. mitio-
rem hæc plaga Moschum,*

Duodenarius XLIX.

*reddidit ; ut minimè anceps
esset, eum nihil æquè
atque pacem optare. verum,
qui fuerit solitus
pacem antea semper dare,
turpe putabat eam
victus quoque poscere. enim verò neque
tu videbare arma aliter positurus,
frugiparens nisi uti
in ius tuum Livonia
concederet rursum, quod ab-
horrebat hostis.*

queiscunque

E

Duodena-

Duodenarius L.

*pacis adempta igitur spe,
 nec violentia quicquam,
 aut furor Martis remittit.
 praelia stant eadem,
 vexationesque urbium.
 inferiorque ferè
 certamine Moschus in omni visitur.
 at tibi cum hoste indomitoque truci
 non fuit asperior
 luctatio, ò rex, quàm locis
 cum ipsis ; tot ingentes lacus,
 vastæ, inuicæque*

Duodenarius LI.

*tot sylvæ, atque tot indi-
 gnantia flumina pontes
 trans erant mittenda. rupes
 adice nubiferas,
 Riphæaq; insolubili
 obruta saxa niue ;
 Et pro popularibus omni visus*

praeliantes

*praeliantes horriferos Aquilones.
 quæ tua nullo oneri
 cessum virtus omnia
 vicit tamen, turmasq; iter
 duxit per æquum.*

Duodenarius LII.

*ergo ubi in interiora
 Moschouia penetraſti,
 Marte, fortunaq; eadem
 cepta iuuant tua,
 primum quidem firmissimi
 mænia Velisii
 defensa viriliter expugnas ; dein
 nobile Usuatum capis ; ac neque grandes
 vim tolerare tuam
 quivere Luci, vberima
 frugum, Sicanaq; æmula
 urbs prorsus Ennæ.*

Duodenarius LIII.

barbarus interea hostis

E ij

Marte

*Marte resistere aperto
non satis tutum arbitratus,
ingenito arma tua
eludere astu nititur;
nunc per epistolia
candorem imitantia; nunc per nuntios
tecum agens vanos, & inepta ferentes
desipientis heri
mandata; quæ tu, ut par erat,
ô rex, supina aure audiens,
rebus tuis in-*

Duodenarius LIII.

*tentus eius nihilo mi-
nus, fera munera Martis
exequens. ad Turopecil
mænia turrigeri
statua habebat barbarus
miles. eò tu aliquot,
rex, millia lecta virorum ire imperas:
qui simul saltus, locaque exuperant
aspera, terror is est
iniectus extemplo hostibus,*

ut nullam

*ut nullam in armis amplius
spem collocarent:*

Duodenarius LV.

*sed fugerent auium ri-
tu, fugientia victor
terga cædit. hæc agenti
tandem etiam alta tibi
porrexit herbam Neulia.
Neulia capta Oseri-
scum perpulit, id quoque, uti se dederet.
nec loci, o Saulotia, te situs, aut in-
gens obeuntis aquæ
tutata vis est, quo minus
ex hoste captas inter ar-
ces ponerere.*

Duodenarius LVI.

*iamque Tyrannus utraque
rex tibi maxime ripa
diuitis cedit Deuinæ,
ni tuus ulterius*

E iij

spectaret

*spectaret arcus letifer.
castra moues igitur,
partemq; iubes animosi exercitus
tectaq; iniectis, sataq; urere flammis
hostica. Staritia
tum se tenebat barbarus
uxore cum iuuenula,
charisq; natis :*

Duodenarius LVII.

*is simul ignibus atris
omnia feruere circum
vidit : extemplo, timore
percitus, in celeres
raptim impedimentis rates
impositis, fugam init,
seque in penitissima regni abdit loca
tristior. tum tu ad vetera impiger ibas
mania Plescouie
demolienda : ibi Ostroum,
amni quasi innatans vago
primo impetu expu-*

Duodenarius

Duodenarius LVIII.

*gnas. iter arripis inde
propositum, atque sub ipsis
collocas tormenta muris
ænea, terrifica,
nata eruendis urbibus.
ac licet obsidio
non semper ita, ut cupiebas, hæc tibi
cederet : perstas tamen, omniaque in spem
experienda tibi
pulchræ putas victoria.
sanèq; ibi, o rex, militum
virtus tuorum,*

Duodenarius LIX.

*enituitq; animi vis.
et si etenim impete primo
grandibus fossis retenti
non potuere opulen-
te urbis potiri : ipsis tamen
in rudium cumulis
in manibus atque adeò ipsis, hostium*

clade

*clade cum ingenti, fera belligerarunt
prælia. cumque rates
Moscho refertæ milite
noctu via alta fluminis
urbi venirent*

Duodenarius LX.

*suppetias, tuus idem
artibus ille dolisque
miles exceptos vel ipso
mergit in amne, vel ad
terram retractos inferis
immolat ense diis.
terram venientibus idem contigit
exitus turmis, quoties vel apertè,
vel voluere dolo
irrepere urbem. atque hæc quidem
ut prosperæ pugne tuis,
sic extiterunt*

Duodenarius LXI.

difficiles: neque enim illi

*cum trucibus modò Moschis
pertinax gessere bellum,
verum etiam cum hyeme,
sævisque tempestatibus,
cumque gelu horrifero,
et cum glaciali Aquilonum exercitu.
proinde complures manuumque, pedumque
cernere erat digitis,
et diminutos auribus,
nasoque, (spectatu horridum.)
quæ vulnera illis*

Duodenarius LXII.

*non acies gladiatorum,
intulerantque sagittæ
hosticis promptæ pharetris:
sed penetrabilia
septentrionum frigora,
immodicumque gelu
crebris niuibisque, procellisque asperum.
quæ tuus miles tamen omnia mente
pertulit indomita,
vicitque vinci nescius.
iam terga curti inuaserat*

cum

F

Sol

Sol capricorni.

Duodenarius LXIII.

*pro se ea frigora demens
tum facere est ratus hostis:
pròinde portas per patentés
omnibus egreditur
cum copiis. nec segnius
emicuere tui:
murisque globisque sub ipsis qui repens
prælium ingressi temeraria fundunt
agmina: vincla pigris
iniec'ta, pernix aufugit,
tantum Tyranno autem truci
urbis perantiquæ*

Duodenarius LXIII.

*obsidio illa timoris
attulit, ut positis am-
bagibus, fucisque, eam se
denique pacem habitu-
rum, quam dedisses, diceret.
quam citò præterie-
re octo illa fugacia lustra, o rex, quibus*

*hostis integris sibi barbarus inter-
dixerat, ut neque pa-
cem nominaret, gratiæ
illius ad te nuntios
legaret ullos.*

Duodenarius LXV.

*odit Adrastia fastum,
magnificèque loquutos
consciis paullo remordet
post pudor, ipsa ubi res
dictum refellit arrogans.
igneus axe suo
nondum spacia annua sol decurrerat,
Cum timens urbiq; sibiq; Tyrannus,
iam minor, atque mina-
rum oblitus, ad te nuntium
pacis petendæ gratia
misit: neque ad te*

Duodenarius LXVI.

*rex modo, qui propius quàm
forsitan ille volebat,*

hosti

F ij

tunc

tunc eras : sed supplicatum,
pontifici in Latium
summo usque misit, pacis ut
suasor is esse tibi
vellet, animumque remolliret tuum.
hæc, ubi amsancta dedit oscula plantæ,
nomine schismaticus
heri precabatur sui:
quem pontifex magnus bene
spenare iussum

Duodenarius LXVII.

in Borealia rursum
frigida regna remisit:
ac suum legatum eandem
imperat ire viam,
si belli amorem, ô rex, trucis
eximere ex animo
posset tibi, corque remolliret tuum.
iamque non laturna diu obsidionem
Plesconia alta vide-
batur, fame, atque armis tuis
constricta: qua capta nihil
restabat hosti,

Duodena

Duodenarius LXVIII.

naue cita nisi sese
per medium dare Volgam
in fugam; sed postulatis
omnia pontificis
tu posthabenda existima-
sti; neque ut excideret
regno, sed uti, tua quæ essent, redderet
Moschus, arma aduersus eum tua sumpse-
ras; positurus ubi
iniuriarum esset nihil.
quid multa? trux Liuania
pacem redemit

Duodenarius LXIX.

Moschus. habes itaque, ô rex,
quod petere omnibus armis,
dum ter emetitur ardens
signiferum Phæthon,
non destitisti; et sic habes,
ut regione in ea,
pro qua tibi cum hoste potenti tam diu-
turnum erat bellum, neque strinxeris enses
fatise-

F iij

*fatiferum; sed uti
bellator expertissimus,
armis in hostiles agros
signisque versis,*

Duodenarius LXX.

*inviolata reserua-
sti tibi præmia belli.
maeste rex virtute, Martis
nobile belligeri
germen, tyrannorum metus.
tu loca finitima
impune feris populantem dentibus,
horridum aspectu, sylvis latitantem
impenetrabilibus,
saevum, trucem indagasti aprum;
dorsumque setis asperum
frustra arrigentem,*

Duodenarius LXXI.

*fulmineisque minantem
dentibus, albaque spumis
huc et huc circumferentem*

ricca

*ricca cubilibus an-
tiquis fugavisti procul.
agricolasque metu,
omnemque adeo Aquilonarem plagam
liberavisti. tria fontibus ergo
flumina contiguis
diversa dum incurrent freta,
Pontum Borysthenes fugax,
Hyrcanium æquor*

Duodenarius LXXII.

*Rha, Tanaisque Mæotim.
laus tua nullum habitura est
terminum, victoriæque
semper in ore hominum,
ô rex, futurae sunt tuae.
Vindice te, patria
fælix mea; quæ veteres iniurias
ultra per te, liberioribus audet
aspicere hostem oculis.
dij dent modo, ut quàm plurimos
vivas in annos, & tibi
votis tuorum*

Duodenarius

Duodenarius LXXIII.

par neat Atropos ævum.
te illa superstitie nil est,
quod sibi non polliceri
audeat. illa minas
non pertimescit Sueticas,
te duce; trux neque uti
impune Borystenis altum amnem Scythes
transcat. limes tuus, ut prius ipse
Pontus erit. vacua
iam conseri arua, & vineas
pangi, renascique arduas
cernemus vrbes.



CVM

Cum Stephani impositum est tibi, nempe coronæ
Omen id, & magni iam fuit imperii.
Idem uerò hominum quod diceris ore Bathorrhæus.
Flumina designat consilii alta tui.



Τῷ Σεφάνῳ Σεφάνου πῶτεν ἡ χάρις, ὅτι ποτε Μόσχῳς
 Αὐτῶν ἐν περὶ τοῦ αὐτοῦ ἑσχατοῦ χειρὶ



CRACOVIAE.

In officina LAZARI. Anno Domini,

M D LXXXIIL.



